



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Nonus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

*tientiam inquit item D. Bern. ser. 12. in Psal. 90.
Caterum, aut vitis, unusquisque sit necesse, aut ignis:
aut frumentum, aut tormentum.*



MODUS NONUS.

Constat ex Allegoria imperfecta, quando propositio quidem allegorica ponitur: in decursu tamen orationis non adeò tenaciter similitudini quidem cohæreat, vultu tamen proprio, passim explicetur. Exemp. grat. dicturus Dominica 3. Quadrag. ad illa verba Lucæ 11. *Cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet*, proponeres, Armaturum te, militem Christianum, & tum porrigeres illi gladium, clypeum, scutum, atque statim quid singula significant aperte explicares, juxta D. Paulum ad Ephes. 6. ut scutum intelligatur fides, gladius Spiritus, galea studium salutis: aut juxta alios sensus aliunde aptè petitos.

P R A X I S.

In Festo S. P. H. Ignatii.

Lucerna ardentes in manibus vestris. Luca 12.

Accessus & propositio. Dubitare minimè possumus: lucernas ardentes, à S. Ignatio, ex præscripto, ad supremum agonem conservatas: illud utilius considerari potest, quos impetus, in eo studio senserit ac pervicerit: ut hac ratione, ad virtutis e-

jus

jus imitationem accendamus. Monstrabo igitur quaternos ventos, lucernam ejus oppugnantes, nullo tamen lucis damno.

Confirmatio, debet constare ex assignatis quatuor ventis, lucem Ignatii oppugnantibus, per quos, Allegoricè, intelliguntur impedimenta vitæ sanctæ.

Primus igitur *ventus* lucernam D. Ignatii oppugnans est, *Ventus orientalis*. Ferox hic omnino, & validus, ipsisque initiis vitæ sanctioris extinguendis concitatus. Omne scilicet principium grave, quandò magis, principium illud? quo simul, est passus difficilimus, ad supremam perfectionem attingendam susceptus. Ventus est, ait D. Aug. tom. 10. homil. 3. *tentatio, & fluctus est*. Ille utique ventus, ille fluctus, de cujus similibus servator, Matt. 7. *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & domum viri insipientis, subvertè-re*. Nihil tamen hic ventus, nihil, objectæ initiis ipsis conversionis, difficilimæ tentationes, in lucem D. Ignatii potuere. Nonne ventus ab Oriente confurgens, ætatis diu in sæculo militariter actæ, impetus? Nonne ventus ab oriente confurgens, literarum perdiscendarum, ad quas vir emeritæ militiæ, & annorum supra tringinta aliquot, se accinxit, difficultas? Nonne ventus ab eodem Phosphoro irruens, persecutiones innumeræ, per quas & publicis in Academia pœnis propè subiectus fuit: & diro, propter exercitationes spirituales

tuales variis traditas, carceri injectus? At lucernâ
ejus extincta non est, adeòque inter tenebras pœ-
narum & carcerum, illud Senecæ in Consol: ad
Helu. à luce Ignatiana, emicuit. *Carcèrem intra-
vit Socrates, ignominiam loco detracturus. Neque
enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Ve-
rius dixeris. In quo Ignatius erat, & lucem ad-
mirandæ in suscepto sancto proposito, constan-
tiæ, spargebat.*

Alteri ventus, lucernam D. Ignatii oppugnans,
est *VENTVS MERIDIONALIS*. Mitis
hic, & gratus videtur, sed cui minimè fidendum sit,
cùm vitæ sanctitati, non minùs prospera (quæ per
hunc ventum notantur) quàm adversa obsint.
Hinc D. Augustinus libr. 17. de civitate DEI cap.
20. *Multi timent adversitatem, & non timent prospè-
ritatem: at adversus prospera, acrius vigilandum
est.* Num. 10. præcipitur clangor tubarum, in bel-
lo, & convivii. De bellicis tubis dicitur. *Er-
recordatio vestri, coram Domino Deo vestro, ut eru-
amini de manibus inimicorum vestrorum.* De
tubis autem convivalibus. *Canetis tubâ ut sint
vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus
Deus vester.* Adverte hic duo. Alterum, quod
utrobique belli signum tuba, assumatur; alterum,
quod non minus innuatur periculum in convivio,
& prosperis: quàm in bello, & adversis. In
bello enim tuba sonat, ut memoriam no-
stri apud Deum mereamur. In convivio au-
tem; ne memoriam & recordationem Dei de-
ponamus. Non adversitas, sed prosperitas, Ange-
lanti

lum cœlicis sedibus præcipitavit : præcipitatque non raro, quos in cœlum virtus provexerat. Longè hoc periculum à D. Ignatio. Nihil illius lucernæ obfuit Auster ventosus : nihil illius facilitas & suavitas. Tot extases admirandæ, tot solatia spiritus, tot visiones cœlicæ, ipsius etiam Sanctissimæ Trinitatis, inexplicabilis & clarissima conspectio : tantum in animum cautissimum, non valuerunt : ut vanam aliquando gloriæ cupiditatem, aut amorem, ad animum admitteret. Aspirabat cum his, hominum communis æstimatio, Principum reverentia, religiosorum cultus, non tamen mentem ardentissimam afflatu suo læsere, non lucem minuere ; ut verè Ignatius, non lucerna solùm accensa, sed ignis natus, atque adè inextinctus haberi mereretur.

Tertius Ventus lucernam D. Ignatii oppugnans, est ventus *AQVILONARIS* : adversitatum, quas in religione condenda, conservandaque sustinuit. O quot illæ, & quantæ ! Pontificum Romanorum quispiam ut habet Anony. gemmam habuit, in qua sculpta D. Ignatii imago : facem unam, solem versus, alteram contra noctuam protendebat. Prioris lemma. *Tellustrat. alteriusi, Te exurit.* Egit utrumque gloriosissimè D. Ignatius, latè per Provincias sociis dispersis, animarum commodis intentus : quod cum ageret, evenit, quod antè notaverat homil. II. Origen : *Qui amicitias expetit Iesu, multorum sibi sciat tolerandas inimicitias. Necessesseque fuit, ut studiosus à vitiosis, minimè diligeretur :* quod rursus aducit Clem. Alex : lib. 10. c. 17.

Oppugnata religionis novitas, nomen, instituta mores: nihilque Aquilo turbulentus non movit, quo lucem orbi illustrandi ab Ignatio accensam, extingueret. Quid interea Ignatius, luminis veri, felix & indefensus tutor? & is cui Nazianzeni elogium Orat. 28. omni merito attribueris. *Duo arripi ac superari nequeunt. DEVS & Angelus. Tertius est Philosophus.* (Christianus Religiosus) *in materia, expers materia, in corpore incircumscriptus, in terra coelestis, in passionibus impossibilis.* Non aliter tamen id egit: quam Divinae providentiae benigna manu, se à vehementissimis, Aquilonis turbinibus protegente: quam lucernae ardenti appingens eruditio. Aquilonem inter & facem, dexteram è caelis demisit, adscripsitque. *Hac protectrice luxi scilicet, & lucem meam conservari.* Spondit, hanc dexteræ protectionem Ignatio Christus, cum se Romæ propitium fore promisit. Notavit ejus digitum, Christi Vicarius, cum in instituti laudem edixit: *Digitus DEI hic est.* Prodidisse videtur ipse Ignatius, cum interrogatus, quâ sapientiâ S. dimissa certa spe beatitudinis obtinendæ, ad pericula humanæ vitæ communia, se pro animabus Christo lucrandis, offerret: & certa incertis commutaret: respondit. *Quid securius, quam pro DEO periculum subire?* Tali omninò animo pericula, cum Aquilonis turbine peteretur, tulit, tali eadem vicit, atque ideò, constanter arsit & luxit.

Quartus Ventus Lucernam D. Ignatii oppugnans
Ventus OCCIDENTALIS: ad quem referre possu-

re-

mus, vitæ ejus occasum, à quo, minimè extincta
 lucerna ejus, splendet hucusque. Sunt quorum om-
 nia cum vita extinguuntur. Sunt qui deficiunt,
sicut deficit fumus à facie terra Psal. 67. adeoque ab
 eorum obitu, nihil apparet, nisi fumus, nihil senti-
 tur, nisi fætor: tanto etiam major, quanto magis
 referuntur ad illud Philosophi dictum; qui inter-
 pellatus à quopiam irrisoriè. *Ediffere quot libras*
fumi habet hoc lignum, respondit graviter. *Expende*
primum, ejus cineres. Verè enim majores cineres,
 plus fumi, plus *vanitatis*, plus etiam fætoris ferunt.
 Aliena tamen hæc, ab omni vitæ sanctæ exitu; alie-
 na & à D. Ignatii sorte: cujus lucerna, etiam vita
 occidente lucet in perennaturis vitæ exemplis, lu-
 cet in sanctissimis institutis, lucet in frequentibus
 admodum miraculis. Quid ajo? cur latius lucem
 non pando? Oritur sol & occidit, lucerna D. Igna-
 tii, occasus est nescia; toto orbe, lociis pro radiis
 diffusis. Vere filios Ignatii, filios passionis, & fi-
 lios lucis dixeris. Passionis quidem, pro filiis co-
 re, duce D. August. in Psal. 41. præferentes in no-
 mine & re, quod Reges ostentant in diademate,
 scilicet crucem; & adversa fortiter sustinentes:
 Lucis autem; ex monito servatoris, ambulantes
dum lucem habent, viam Patris sui Joann. 12. Cum
 Rigenſis urbs, Livoniæ Princeps, Sueco se tradi-
 disse; Sanctissimo Homini JESU, consuetis lite-
 ris. *7. H. S.* in templo societatis expresso, appinxe-
 re hæretici Draconem: cujus hiantibus faucibus,
 hæc ad singulas literas nominis venerandi, subjecta

applicatio J. *Jam*, H. *habes*, S. *satis*. Significabatur
 novo invento potissimam hæretici triumphii partem
 esse, quod societas ex ea urbe ejecta esset. At
 quam male ludit, malum ingenium, etiam
 cum optimè lusum existimat! draconis spe-
 ciem suapte suscepit: cujus semper vult celare ani-
 mum: rictus ad devoranda sacratissima insignia ex-
 pandit, quorum præfert cultum. Verùm, & quam
 male, tam falso ludit. Nequaquam ejus ingluviei,
 præda facta est, societas: adhuc Ignatianæ lucernæ
 faces, dracones istos toto orbe terrent. Condu-
 tur interdum, ut depromptæ facilius perstringantur
 subducuntur, unì loco, ut in altero utilius luceant.
 Hient toto ore sævi dracones, totoque efflent gut-
 ture immanes impetus, Lucerna Ignatii, Pharos
 æterna mundo erit.



MODUS DECIMUS.

Constare hic quoq; ex Allegoria imperfecta
 censetur. De natura interea non disputo, sed
 ad commoditatem usûs, illum profero. Est autem,
 quando Propositio quidem orationis, simplicibus
 verbis ponitur: probatio autem non simpliciter,
 sed sub similitudine & Allegoria tractatur. E. g. si
 Dominica Sexagesimæ, proponas, inquisituum te,
 Quid sit causæ, quod verbum Dei ex se efficacissi-
 mum, valdè parum in hominibus operetur: & in
 Confirmatione, reddas rationem propositionis,
 ietentâ Allegoriâ seu similitudine feminis, in viam
 rnter spinas, & super petram cadentis: non jam ex-
 plican-